



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Natales Sanctorvm Belgii, & eorundem Chronica Recapitulatio**

**Molanus, Johannes**

**Dvaci, 1616**

Die vigesima nona Ianuarij.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9477**



gum Saxonix facto grege in *Hartesburg* irruisse, ipsumque funditus deleuisse: reliquias verò sanctorum, abbatem ex vicino cœnobio opportunè superuenientem, vulgo eripuisse, & ad suum monasterium cum honore transuexisse.

Vnde plura peti possent. Nam *Aquisgranenses* nullam eius habent memoriam, nisi quod inter chartas reliquiarum legatur, *Pulueres reliquiarum sancti Spei episcopi & martyris*. Quod cum *Hirsfeldensi Chronico* non videtur concordare, in quo confessor nominatur.

### Die vigesima nona Ianuarij.

#### De beato *Arnulpho*, martyre *Cisoniensi*.

*Ex rithmo de beato Arnulpho, & relato D. Alardi, Reuerendi abbatis Cisoniensis.*

**C**isonij, beati *Arnulphi* militis & martyris, *Exstat Cisonij, & a laqueo peremptus fuit. de quo extat rithmus, cuius paucos versus subiungam.*

Omnis plebs *Cisonij*,

Martyris egregij

Gaudet de præsentia.

Nam si quis cum febribus

Huc venit, & præcibus,

Sentit beneficia.

Concurrente populo;

Multa Dei famulo

Donantur beneficia.

*Item.*

Ibi nunc repositus

Iacet martyr inclytus,

In altaris margine.

Ibi *Gisla* posita

Est, & eius inclyta

Proles, *Alars* nomine.

Horum trium meritis;

Et *Eurardi* militis,

Præsta pater omnium

C 3

Sic



Sic ad præsens vivere;

Hotum. vt in æthere

Consequamur gaudium.

Natalem notatum vidi quarto Calendas Februarij, qui tamen à Cifoniensibus non celebratur. Verùm sancti Arnulphi sui ossa per primos iconomachorum nostri temporis futuros multum dispersa esse dolent.

Die trigesima Ianuarij.

*De S. Aldegunde, patrona Malbodiensiu.*

*Ex historia Malbodiensis ecclesie, Hucbaldo, & Aliunde.*

**M**Albodio monasterio, sanctæ ALDEGVNDIS virginis, multis visionibus claræ. Quæ in pago Haynoënsi, ex regali Francorum profapia originem traxit, parentibus Gualberto & Bertilia. Cùm autem mater eam vellet illustri sociare coniugio, respondit se illum solum concupiscere, cuius prædia sunt cælum, terra, & mare; cuius fundi & diuitiæ nunquam deficiunt. Vnde à Walde- trude, quæ virginis soror natu maior erat, in Ca- strorum loco instructa, postmodum ad Sambram & Malbodium, monasterium construxit, & tur- bam sanctarum virginum congregauit; Quibus prædia sua possessionesque tribuit publica dona- tione, quæ habebat in pagis, siue territorijs, Hay- noënsi, Laumensi, Sueffionensi, Landunensi, Ostrebanto, † Brachbanto, Riboariensi, & alibi.

† F. r. Brach-  
charc.

Cùmque passionem aliquam, vt plenè pur- garetur, vehementer optaret, canceri morbum in dextra mamilla percepit, eumque velut marty- rium suum, aut purgatorium, dilexit. Sororis suæ Waldetrudis filias, Aldetrudam, & Madelbertam sic in pietate instituit, quod in monasterij regimi- ne ipsi successerint, & post mortem natales dies

habere